

DIALOGUS XXXVII.

De Cypria Dea, ejusque comitibus
Gratiis.

P U B L I U S.

I.
Tab. VII.
N. XI. ac
XII.

Succedit *Musis* Dea *Cypria*, sive *Venus*, quam Numi, Undecimus, ac Duodecimus exhibent. Stat utrobique stolata, & palliata: sed in priore cum hasta, & pomo, victricis formæ suæ premio, a Paride judice relato: ad pedes parvulus Amoris Deus alatus ei assistit, cum telo, & arcu. Epigraphe: VENUS GENETRIX. In altero ipsa gubernaculum navale dextra tenet extenta, cui delphin implexus, laevo brachio infantulum sustinet: ad pedes Ara succensa. Lemma: VENERI FELICI. Ambo hi Numi mei sunt: quorum prior est *Faustina* junioris, alter *Julia Mammea*. Alios duos *Julie Sæmiadis*, rursumque *Faustina* pinxeras mihi Part. II. Tab. VI. n. 11. ac 12. cum lemmatibus: VENUS COELESTIS: &: VENERI VICTRICI. Ibidem Dial. XXIII. n. 6. sqq. abs te didici, hanc Deam prædicatam esse Cœlestem, quando sumebatur vel pro Amore Sapientiæ, Scientiarum, & Artium: vel saltem pro Amore casto Conjugali. *Genetricem*, aut *Felicem*, procurata Conjugii fecunditate. *Victricem*, quod amoris voluptas omnes prope homines, & juxta fabulas, Deos pariter vinceret.

II.

Libr. I.
Cap. II.
§. 13.

TULL. Horum tam probe memor cum sis, id superest, ut mentem D. *Pluche* de origine hujus idoli tibi exponam. Signa *Isidis* Aegyptiæ ad Neomenias Mensium illorum exposita, in quibus apud Aegyptum neque Frugum, neque Animalium quidquam peculiare nasci solebat, nihil additum sibi habebant, nisi eos Zodiaci characteres, quibus Menses distinguebantur, v. c. notas Cancrî, Leonis, Virginis &c. Quæ Signa *Isidis*, lapsu Se-

culorum amisso vero sensu picturæ olim loquentis, crebro tamen reperta, propter additas Astronomicas figuras, videbantur Deam referre, Cœlestium, & Philosophiæ contemplatricem, atque Magistram. Inde a Græcis posthac effictum est Numen, inspirans Amorem Sapientiæ sub nomine *Veneris Cœlestis*, cum primis Philosophis culta. Signa *Isidis*, aliis mensibus fertilibus proposita cum frugibus, & animalibus, tunc nascentibus, reputabantur pro imagine Deæ, cunctis desiderium, vimque gignendi conferentis, ac inspirantis, Inde *Venus Genetrix*.

Sed unde Nomina? Erat, inquit, in Festis, quibus prædicta Signa exponebantur, Chorus Puellarum, in calathis flores, frugesque apportantium, quibus Locus, ubi actum est festum, exornabatur. Divertebant illæ sub tabernaculis, quæ dicta fuerunt *Surcoth venoth*, i. e. *Tabernacula puellarum*. *Iside* porro per idololatricam Dea facta, nomen a famulabus in Dominam translatum est, & *Venoth* molliori dialecto primum *Venos*, demum *Venus* pronuntiatum. Quando postea Poëtarum somnia supervenerunt, quatuor *Veneres* eorum cerebro natae sunt, diversa quavis origine. Principem illarum insolentissimo commento fabricarunt e spuma marina, deinde conchæ margariti feræ impositam, & cum jam infans esset, a Zephyro ad litora Cypri appulsam. Quam repertam educaverint *Hora*, & *Job* excellentiam formæ in Cœlos adductam, Diis exhibuerint, omnibus eam in thorum optantibus. Alii propterea *Cypriam* illam appellarunt, ipsi vero Cyprii *Aphroditem*, ab *αφροειος* græco, i. e. *Spuma*. Sed *Pluchius* hoc Nomen multo verius ab *Appherudoth* Phœnicio profectum reputat, quod nil nisi *frumenta*, vel *Grana* significabat, & *Isidi* dabatur, ad festum finitæ Messis expositæ.

III.

Unde supra §. 10.

PUBL. Adhuc est mihi Numus ex ære parvo *Salonina*, ubi Dea stolata stans cum hasta, clypeo ad pedes accumbente, dextra extenta Delphinum gestat, cum lemmate: VENUS VICTRIX. Ubi delphinus ejus Genesin maritimam, clypeus vero victum ab ea Martem, suoque amore irretitum, demonstrat. *TULL.* Amplius apud *D. Liebe* p. 417. ad hanc ejusdem Genesin alludunt Numi duo ærei parvi *Corinthiorum* cum capitibus *Neronis*, item *Agrippinae* Matris: ubi *Venus* insidet curru, a Tritone, atque Najade, cornua instantibus, tracta. Apud eundem p. 338.

IV.

in *Trajani Numo æreo parvo Tentyvitarum Aegypti* stat cum hasta, & Columba in dextra, ave salacissima: quapropter & curruj ejus Columbae præjungi consueverunt. Apud *Patinum* p. 124. in Gente *Julia* provehitur a Cupidinibus volantibus. In *Antiochiæ* cujusdam incertæ *Numo æreo medio M. Aurelij* p. 198. stat scæmina insolito typo ante equum, quem fræno apprehendit, capite modium gestans, lævoque brachio *Cornucopiæ* deferens. Hanc

Geogr. L. XVII. Cl. *Patinus* respicit pro *Venere Equestri*, cujus meminit *Strabo*, eam vocans *ἑφιππον*. Apud *Argelatum* in *C. Julij Vindicis*, Tiranni sub De Præpar. Ev. *Nerone*, singulari *Numo* legitur *Venus Aurea*: quo sub elogio in L. X. c. 8. campo quopiam prope *Momemphim* colebatur, juxta *Eusebium*.

V. Quid porro dices ad *Numum Cl. Frælichii* subaratum? In Numor. 68. cujus *Adversa* est *Caput Alexandri Severi* laureatum cum titulis: in *Aversa* stat figura veste scæminea, vultu autem *Viri* barbato, cum hasta, & pectine crinium, ut videtur, addita epigraphe: **VENUS COELESTIS**. Cum primis hoc in *Numo* fallere videtur conjunctio utriusque partis: nam typus *Junonis*, *Vestæ*, *Veneris*, *Augustarum* duntaxat ad vultus addi consuevit. Deinde *barbata Veneri* elogium *Cælestis* congruere non videtur. Cultam autem eandem hoc nomine fuisse, testabatur *Servius*, inquiring ad

Aeneid. II. v. 632. *Virgilium*, qui *Masculam Venerem* dixerat: „Loquitur secundum eos, qui dicunt, utriusque sexus participationem habere Numina. - - Est etiam in *Cypro* *Simulacrum barbata Veneris*. „

In Lex. voce Aggoditr De Romanis quoque *Suidas* refert, factum esse *Veneri simulacrum cum barba*, & *pectine*, postquam lues quædam singularis, facto huic *Dææ* voto cessasset, per quam scæminis capilli omnes exciderant, ut calvis nullus jam pectinum usus esset. Aliis visum, cultam esse a Romanis *Masculam Venerem* obtinendæ frequentius masculæ prolis causa, cum *Urbs Martia* Militibus novis, qui supplerent quotidie occumbentes, maxime indigeret. Pronius autem sit, credere, hoc idolum utroque sexu fictum fuisse, cum Amor sit *Viris*, scæminisque communis. Utcunque rem verteris, habebis pro ratione delirium.

VI. Denum & Cl. *Harduinus* commemorans, *Juliam*, *Filiam Augusti*, quodam in *Græco Numo* dictam esse *ΙΟΥΛΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ*, In Plin. suo Tab. 1. c. *Juliam Venerem*, adducit præterea *Numum æreum parvum*, hinc

hinc cum capite imberbi, virili tamen potius, quam fœmineo, II. n. 29.
 imposito Lotho, cum epigraphe: ΘΕΟΥ ΠΑΝΟΣ. In Averla cer-
 nitur Gammarus, i. e. Cancer marinus, impositus tripodis, ad
 Tom. I. p. 254.
 dita æra: L. E. i. e. Anno Quinto. Caput in hoc Numo agnoscit
 pro Sabina Coniuge Hadriani, quam ait prædicari Venerem Cœ-
 lestem, dum epigraphen sic resolvit. ΘΕ. α ΟΥ. ρανία ΠΑΝΟ.
 πολιτών C. α Βείνα: Dea Cœlestis Panopolitanorum Sabina. Venus hic
 intelligenda, quæ ab Herodoto dicitur Ουρανία Αφροδίτη, Panopoli-
 tanis quippe cum vicinis Aphroditensibus eadem religio fuit. Cæ-
 terum, nomine Veneris Cœlestis, ejus cultores honorasse Stellam
 Veneris, in cœlo micantem, & Sabinam pari beneficentia sibi fa-
 ventem prædicasse.

Alibi profert Numum æris minimi Salouine, ubi sedet fœ- VII.
 mina cum olea, & hasta transversa, ac epigraphe: VENERI
 Ibid. p. 89.
 GENETRICI. Hic tamen ipse neque Nomen, neque imaginem
 Veneris agnoscit, sed Salouinam confidere contendens, disjectas
 primæ vocis literas ita legit: B. aslicam E. dua N. ovam E. rexit
 I. mperatoris GENETRICI: scilicet Cornelii Salonini Valeriani, quem
 alius Numus Augustum fuisse docet. Alias Vir Cl. tradidit, vete-
 res per Venerem, Genetricem, non Genitricem, scriptam, non tam
 Deam indicasse, quam Comitatem, Humanitatem, & Affabi-
 litatem, uni præ altero congenitas. Sinamus autem Harduinum,
 quoties ei libuit, singularem fuisse, & suas peculiare ingenii
 venteres pro se confectatum. Aliis non æque libet, in sylva lite-
 rarum novas toties voces, & quidem semper intra Galliam, ve-
 nari. Quid magis inter Philologos decantatum, quam apud ve-
 teres B. literam cum V. itemque aliis, euphoniæ causâ quam sæ-
 pissime commutatam fuisse? Deinde quid pomum, quid infan-
 tulus ablandiens, quid Cupido Comes, nisi certissima Dex jux-
 ta fabulam symbola sunt? Ipsa igitur, non Comitatus, non Affa-
 bilitas, prostat in Numis.

PUBL. Numo Decimo tertio pinxisti tres Gratias, ut puto, VIII.
 certe fœminas nudas adstantes, & mutuo se intuentes, ac bra- Tab. VII.
 chiis complectentes. Adscribitur: ΑΔΡΙΑΝΠΟΛΕΙΤΩΝ: i. e. N. XIII.
 Adrianopolitarum. TULL. Hunc Numum æris mediæ rarissimum,
 quia Sabine Tranquillinæ, Coniugis Gordiani Pii, protulit Liebeus G. N.

p. 452. Cui parem prope typum dedit *Patinus*, in gemino aere medio Numo, priore *Juliensium* p. 324. cum capite *Valeriani*, altero *Niceensium* p. 328. cum vultu *Gallieni*: in quibus tamen duæ fœminæ calices tenent, ut *Nymphæ* videri possent. *Montfoconius* has Deas ex *Vaillantio* in gemino Numo vestitas produxit, tacens, quorum fuerint, Tom. I, P. I. Tab. 109. Fingebantur porro *Charites*, aut *Gratiæ*, vel *Jove*, vel *Sole*, aut *Libero Patre* genitæ, unico videlicet Numine, ferebantque Nomina, *Euphrosines*, *Aglaiæ*, *Thaliæ*. Sumebantur pro Comitatu, Amicitia, Beneficentia, ac tres constituiebantur intuitu beneficiorum, quæ comiter impendere, recipere, & retribuere, quasi perpetuo circulo conveniret, ut amicitia fœdus omni tempore constaret: quocirca intuentur se, atque complectuntur. Nudæ sunt ad amicitia candorem designandum: quam violat, quidquid fraude, & simulatione, vel propria utilitatis velo est obtectum. Ita Philosophi veteres.

IX.
Cap. II.
S. 78. D. *Pluche* autem has Deas repetit a tribus *Isidis* imaginibus, mense Julio, Augusto, Septembri expositis, quibus affluebat Nilus, ac defluebat. In his cum omnes labores publici fuerint impediti, & aquarum causa ne quidem ab uno loco in alium pervenire liceret: dicta est hæc intercapedo mensium udorum *Cheritout*, a *charat*, i. e. *abscindere*, quasi *Scisso*, *Separatio*, quoniam homines ab hominibus arcebat. Hæ igitur tres *Isides*, cum reliquæ novem cæterorum quorumlibet mensium, idololatriæ superstitione, transiissent in *Musas*, ne otiosæ penitus essent, migrarunt in *Gratias*. Nomen vero *Cheritout* transfingebatur in *Charites*, degeneri penitus ethymologia, prorsusque contrario sensu, non jam ab hebreo *Charat*, i. e. *abscindere*, sed a Græco *χάρις*, i. e. *Gratia*, quæ amore conjungit.

